



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De vago clerico apostatante, cap. 16

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Reg. 16.

Multa bona præstitit Deus homini isti, nihil ei defuit horum quæ homo Christianus habere debuit, dominicis sacramentis munitus est, aër in eius morte serenatus est, cum magna gloria sepultus est. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Post paucos dies cuidam sibi valde familiari apparens, dicebat se esse damnatum: cumque miraretur ille & expauesceret, pœnitentiam eius & confessionem, sacram etiam communionem, & inunctionem commemorans, respondit defunctus: Vnum bonum mihi defuit, sine quo nullum horum, quæ enumerata sunt, mihi prodesse potuit. Quid est illud? inquit. Respondit mortuus: Vera contritio; licet enim Deo promiserim consilio confessoris mei continentiam, siue alia quæ salutis sunt, tamen dicebat mihi conscientia, quia si conualueris, obseruare non poteris; & quia cor magis declinabat ad transgressionem, quam ad voti obseruationem, nullius peccati merui remissionem. Deus requirit fixum propositum pœnitendi. Ecce hominis huius pœnitentia sera fuit & ficta, nec tamen fuisset sera, si fuisset vera. APOLLONIVS: Non mirabor amodo, pœnitentiam seram vix esse veram. CAESARIUS: Plures sunt in seculo, quos ego bene noui, qui tempore infirmitatis, cum timerent mori, se inter manus Abbatis reddiderunt, & cum conualuissent, transgressores voti facti sunt.

CAPVT XVI.

ANNO præterito apud Bonnam vicum diocesis Coloniensis, vagus clericus quidam, Nicolaus nomine, quem vocant Archipoëtam, in acutis grauer laborauit, & cum mori timeret, tamen per se ipsum, quam per canonicos eiusdem ecclesie, ut in ordinem susciperetur apud Abbatem nostrum obtinuit. Quid plura? Cum multa, ut videbatur nobis, contritione tunicam induit, quam facta crisi celerius exiit, & cum quadam irrisione projiciens, aufugit. APOLLONIVS: Multi sunt peccatores, qui contritionem habere non possunt, & de ipso dolent, quid ergo sentiendum est de tali dolore? CAESARIUS: Talis dolor merito

meritorius non est, quia sine charitate; præparat tamē aliquando viam charitati: charitas & peccandi volūtas simul inesse non possunt. Quid de tali dolore sanctus Bernardus senserit, verbis & exemplo illius doceberis.

CAPVT XVII.

RERVLIT mihi frater Godefridus monachus noster, quondam Scholasticus sancti Andree in Colonia, cuius in superiori distinct. 3. cap. mentionem feci, tale quid contigisse in ciuitate Remensi. Eo, inquit, tempore quo Remis fui in studio cum Domino Philippo, postea Coloniensi Archiepiscopo, cuius magister & pædagogus eram, contigit ibidem militem quendam infirmari vsque ad mortem; instinctu diaboli idem miles, si bene memini; habebat auunculi sui filiam concubinam, cui tanto conglutinatus fuerat amore, vt non admonitione, nec excommunicatione, neque aliqua verecundia humana posset, vel vellet ab ea separari. Timore autem mortis vocauit sacerdotem, satis puram, & cum lacrymis de omnibus suis peccatis illi faciens confessionem; quem cum sacerdos moneret, vt tam illicitam abjuraret commixtionem, ipsamque personam cognatam suam; respondit: Domine, non possum. Et ille: Si in tali voluntate mortuus fueris, gaudio cœlestis vitæ priuaberis, & æterna tormenta te suscipiēt, milite in sua obstinatione perseverante, recessit sacerdos cum corpore Domini, quod secum detulerat ad communicandum infirmum. Nutu diuino, extra domum sacerdoti occurrit sanctus Bernardus Abbas Clareuallis, quem cum interrogasset, quare infirmum non communicasset, causamque, quæ nota erat omnibus, intellexisset, ait sacerdoti: Reuertere mecū ad infirmū. Reuersi autem, cū sanctus vir militi iā morituro, quæ salutis erāt suaderet, & ille præter istā solā rem iam dictam, in omnibus obedientiā spōderet, nouissimè subjūxit: Nūquid nō doles q̄ non potes habere voluntatē recedendi ab illa? respōdit: Domine valde doleo me de hoc nō posse dolere. Audito hoc verbo Abbas, mox dixit sacerdoti,

VT COR-